



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

221. Nvm erigere possit novam Dignitatem aut beneficium simplex, seu suum ad ejusmodi erectionem præbere consensum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

Parisi. conf. 10. num. 7. vol. 4. Put. decis. 239. in princ. l. 2.

2. Verumtamen in hærendo doctrinæ Fagnani, de qua *quest. proced.* videtur contrarium, nempe id posse Vicarium sine speciali mandato ob eandem rationem; quia nimirum Trident. *cit. c. 6.* utitur termino illo *etiam*. Et id non minus spectat ad jurisdictionem ordinariam Episcopi, & erat de jure communi jam ante concessum Episcopo, ut ipse fatetur Sbrozium *cit. num. 1.* ubi: quod etiam antiqui canones probare ob alios Rectorem vel etiam inferiorum Prælatorum defectus, nimirum ut iis ab Episcopo statuantur Vicarii vel Coadjutores. Et certe id magis arduum non est, quam adungere Rectori cooperatorem ob amplitudinem Parochiæ, & parochianorum multitudinem: Pari modo ex generali commissione Vicariatus habere Vicarium facultatem deputandi Vicarios idoneos in parochialibus, à quarum residentia rectores absunt dispensati pro hoc à Papa, modo non agatur de exemptis, tradit Fagn. *in c. quoniam de off. deleg. n. 21.* eò quod hæc Vicariorum in hoc casu deputatio jure ordinario ante Tridentinum spectabat ad Episcopos. *c. cum ex eo. §. porro. de elect. in 6.* ac proinde Trident. *seff. 6. c. 2.* ubi id committit Episcopis, utatur istis terminis: etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati.

Questio 219. An sine speciali mandato Episcopi Vicarius constituere possit æconomum in beneficio vacante?

Respondeo, negat hoc ipsum Ventrigl. *l. c. n. 13.* citat pro hoc Sbrozium *l. 2. q. 112.* ubi is de hoc nihil. uti nec *q. 112.* Verum videtur probabilius contrarium deduci ex responsione ad *questiones* binas præced. vide me *For. beneficiaris p. 2. q. 682. n. 3.*

Questio 220. Num Vicarius possit restituere clausuram monialium, earumque monasteria gubernare, pro ut præcipitur Episcopis, per Tridentinum Seff. 25. de regular. c. 5. & 9.

Respondet affirmativè Fagn. *l. c. n. 26.* ubi: præcipitur Episcopis, ut in monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis vero, id est, exemptis, Sedis Apostolicæ auctoritate procedant: idemque prius statuerat Bonifac. VIII. *c. periculosos. de statu Regular. in 6.* quò fit, ut quò ad non exempta idem jus competat Vicario generali Episcopi; quò vero ad alia non item, nisi ei ab Episcopo specialiter committatur; quia subjiciuntur Episcopo monasteria Sedi Apostolicæ immediate subjecta, quæ prius ei non suberant, jubetur Episcopus simpliciter procedere tanquam delegatus. Unde fit, ut absque speciali commissione hoc jus in Vicarium generalem non transeat.

CAPUT QUARTUM.

De potestate Vicarii in re beneficiaria.

PARAGRAPHUS I.

De potestate Vicarii circa erectionem extinctionem & ablationem beneficiorum.

Questio 221. Num Vicarius erigere possit novam dignitatem aut beneficium simplex, seu suam ad hujusmodi erectionem præbere consensum?

1. **R**espondeo primò: Vicarius novam omnino dignitatem erigere nullatenus potest; quia nec id potest Episcopus, sed pertinet ad Papam. Lotter. *de re benef. l. 1. q. 14. n. 43.*

Sbroz. *l. 2. q. 31. n. 1.* citato Abb. *in c. cum accessissent.* de constit. juxta *c. 1. dist. 22.* ubi dicitur: omnes sive Patriarchii cujuslibet apices, sive Metropolitani primatus, aut Episcopatum cathedras, vel Ecclesiarum cujuslibet ordinis dignitates instituit Romana Ecclesia, vide me *fori benef. p. 3. q. 264. num. 2.*

2. Respondeo secundo: sed neque dignitates novas, sed quæ aliquando fuerunt in Ecclesia, & collapsæ sunt, quasque Episcopus rursus instituere potest, Vicarius erigere de novo nequit sine speciali mandato Episcopi. Sbroz. *l. c. num. 2.* ubi postquam dixisset: possunt Canonici creare in sua Ecclesia dignitatem non novam, pro ut Archidiaconatum, Archipresbyteratum, modo interveniat auctoritas Episcopi, & deo pro tali dignitate constituatur, ut *cit. c. accesserunt.* ubi canonice, & in specie Abb. *n. 4.* Felin. *n. 14.* Decius. *n. 9.* Et *n. 3.* quævisisset: an ad hoc sufficiat auctoritas Vicarii, pro ut affirmativè responderat pro Vicario Episcopi Vincentini post *conf. 99. n. 43.* ratione identitatis, quam habet Vicarius cum Episcopo, subjungit *n. 4.* At

P. Leuven. Vicarius Episc. Tract. 14

quòd Vicarius hujusmodi auctoritatem non possit interponere sine speciali mandato, probat Jo. de Dio *in c. fin. de off. Vicar. in 6.* Federic. *de sen. conf. 261. in princ.* Felin. *in c. cum accessissent. n. 15.* & Decius. *n. 9.* & contra Vicarium Episcopi Vincentini respondit Jo. Baptist. Ferrer. *conf. 324. n. 4.* & latius *conf. 343. n. 3.* Uti etiam idem iidem ferè verbis sentit Fagn. *inc. non amplius. de institutionib. n. 79.* Barbof. *de potest. Episc. allegat. 54. n. 80.* Quin etiam id non posse Vicarium, etsi habeat mandatum cum expressione aliquorum specialium, secutà dein clausulâ generali, tradunt Sbroz. *l. c. n. 9.* & Fagn. *cit. n. 70. in fine.* Ferrer. *conf. 327. num. 7.*

3. Respondeo tertio: sed neque sine speciali mandato erigere potest Vicarius novum beneficium in ecclesia, sive ad hoc præstare consensum suum & auctoritatem. Sbroz. *l. 2. q. 32.* citans Ferrer. *ubi ante.* Fagn. *l. c. n. 80.* Barbof. *l. c. Pax Jord. l. 12. tit. 1. n. 188.* ubi: non valet auctoritatem interponere erectioni novi Canonicius aut beneficii, à Canonico, sive ab aliis fundati, ut Felin. *in c. cum accessissent. n. 15.* Decius. *n. 9.* Et specialiter etiam quòd erigere nequeat Vicarius, habet ibidem Pax Jord. Rationem ex Jo. And. dat Fagn. quòd sicut Vicarius Episcopi non potest beneficium conferre, nec illo privare, ita nec illud creare.

Questio 222. An erigere & constituere possit novas Parochias?

1. **R**espondeo primò: si sermo est de erectione novæ Parochiæ, quæ fit in loco, ubi nulla fuit, aut de facto est Parochia, sive quæ contingit hinc difmembratione vel divisione antiquæ Parochiæ, pariter loquendum erit de erectione Parochiæ ac alterius beneficii; cum Ecclesia parochialis sit verum beneficium, Et de his parochiis loqui videntur Fagn.